

**Dissertatio metaphysica de existentia daemonum quam ... disquisitioni ... /  
subjiciunt praeses M.J.G. Span ... et respondens J.D. Reutte.**

**Contributors**

Reutte, Johann Daniel.  
Span, M. J. G.  
Universität Ulm.

**Publication/Creation**

Ulm : C.U. Wagner, 1721.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kuvzh3a7>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSSERTATIO METAPHYSICA  
DE  
**EXISTENTIA**  
**DÆMONUM**

Quam

ADJUVANTE DEO

In florentissimo Gymnasio Ulmensi

Placidæ Eruditorum disquisitioni modeste

Subjiciunt

*PRÆSES*

M. JOH. GEORGIUS *Span,*

Philosoph. Primæ P. P.

ET

*RESPONDENS*

JOH. DANIEL *Reutte,*

Ulmens. Philosoph. Stud.

*Ad d. 30. Septembr. Anno M DCC XXI.*

H. L. Q. C.

*ULMÆ,*

Literis CHRISTIANI ULRICI WAGNERI.

58700 (16)



VIRIS	
IN INCLUTA ET LIBERA S. R. IMP.	
REPUBLICA ULMENSI	
PER-ILLUSTRIBUS MAXIME GENEROSIS, MA-	
GНИFICIS, PRUDENTISSIMIS PATRIÆ PATRIBUS.	
Dn. CHRISTOPHORO ERHARDO Schad à Mittel-Bibrach.	Duum Viris, Re- rumque Eccle- siasticarum Di- rectoribus Su- premis , Viris Eminentissimis.
Dn. MARCO CHRISTOPHORO LIB. BARONI de Welser.	
Dn. RAYMUNDO Krasst à Delmensingen, Consuli meritis in Rempublicam maxime conspicuo.	
Dn. THEODORO AUGUSTO Schad à Mittel- Bibrach, Viro Consulari de Patria longe meritissimo.	
Dn. ALBERTO Cramer, Dicasterii Secretioris & Ecclesiastici, Superiorisque Judicii Assessori Amplissimo.	
Dn. CHRISTOPHORO LAURENTIO Welser, Superioris Judicii Assessori, & Aerarii publ. Quæstori Gravissimo.	
Dn. JOHANNI JACOBO Schad à Mittel-Bibrach, Superioris Consilii Assessori.	
Dn. CHRISTOPHORO HENRICO Besserer à Thalzingen.	Ædilitii Sacri Præfectis Splendidif- simis.
Dn. WALTHERO HENRICO Kolb, Superioris Judicii Assessori.	

Ut

Ut &  
V I R I S

*MAXIME VENERANDO, PLURIMUM REVERENDIS,  
AMPLISSIMIS, SPECTATISSIMIS.*


- DN. M. DANIELI Ringmacher, Rever. Minist. Seniori  
Consist. Matrim. Assessori, Gymnasiique Scholarchæ Gra-  
vissimo.
- DN. M. JOHANNI Frick, S. S. Theol. P. P. Celeberrimo,  
Ministro Verbi Divini in S. Templo, animæque meæ Cura-  
tori Vigilantissimo.
- DN. M. DAVIDI Algöwer, Ecclesiastæ in Templo Pri-  
mario Facundissimo, Theol. Catech. P. P. Famigeratissi-  
mo.
- DN. ELIAE Frick, Verbi Divini in Basilica Ulmensi Pœco-  
ni Fidelissimo, Cognato suo omni reverentiæ cultu prose-  
quendo.
- DN. M. JOHANNI FRIDERICO Hertenstein, Ædis ad  
S. S. Trinit. Ministro, & Philosoph. Ration. P. P. Meritis-  
simo.
- DN. CAROLO FRIDERICO Stroineyer, Moralium P.P.  
Eximie merenti.
- DN. JOHANNI Reutte, Parenti suo, ob tot & tanta be-  
neficia ad vitæ usque finem omni obsequii cultu affi-  
ciendo.

*Dnn. meis perquam Gratosis, Patronis, studiorumque  
Promotoribus, Mæcenatibus, in submissæ & debita ve-  
nerationis Testimonium, mei, meorumque conaminum,  
ulteriorem commendationem, ea, qua decet, animi sub-  
missione & reverentia hanc dissertationem consecrare  
voluit, debuit*

RESPONDENS  
JOH. DANIEL Reutte.

## PRAEFATIO.

**Q**uodsi unquam Metaphysicæ pars specialis, quam recentiores quidam peculiari nomine Theologiam naturalem appellant, est commendanda, hoc certe seculo maxime est necessaria, ubi Athei, Naturalistæ, atque Adæmonistæ nobis multum negotii faceantur. His enim evidētia ex nobilissima hac Philosophiæ parte argumenta sunt opponenda, ut existentiam DEI, necessitatem revelationis, atque existentiam Spirituum agnoscant. Itaque cum & nostris temporibus dentur, qui impio atque impudentissimo ausu & existentiam & operationes spirituum malorum in dubium vocent, quod exemplo recentissimorum scriptorum Anonymorum *Francisci de Cordua* atque *Gottfr. Wahrlebs* constat; hinc operæ pretium esse duxi, si hanc potissimum materiam dissertationi publicæ eligerem, vexatam quidem satis, multisque exceptionibus obnoxiam, hoc tamen seculo utilem & necessariam. Idem quoque argumentum maxime arrisit præstantissimo atque doctissimo Domino Respondenti, qui diligentiam suam, atque egregios in rebus Philosophicis atque Philologicis profectus singularis comprobavit. Cum enim ante discessum in Academiam specimen publicum edere in animum induxerit, ut profectus suos philosophicos aliquatenus ostenderet, hoc præ ceteris Thema elegit. Hanc itaque Dissertationem conjunctis viribus elaboratam modesto Eruditorum examini subjiciemus. Non quidem illa, quæ de hoc argomento fusius dici potuissent, persecuti sumus omnia, sed præcipua tantum momenta breviter attigimus. Faxit DEUS feliciter!



## *Conspectus totius Dissertationis.*

§. I. **T**raditur Dæmonis Etymologia & Homonymia.  
 §. II. Definitio Dæmonum in genere adfertur &  
     explicatur. §. III. Argumentorum ex L. N. pro  
     existentia Dæmonum vis & pondus ostenditur. §. IV. Ar-  
     gumentum primum ab apparationibus spectrorum desumptum  
     exponitur. §. V. Idem vindicatur. §. VI. Argumentum  
     IIdum ex commerciis & pactis hominum cum diabolo ad-  
     fertur. §. VII. Ex effectibus magicis idem confirmatur.  
 §. VIII. Contra negantes vindicatur. §. IX. Argumentum  
 IIIum de Oraculis gentilium profertur, & variae de illis vario-  
     rum sententiæ recensentur. §. X. Probatur, Oracula quæ-  
     dam ad malum Dæmonem esse referenda. §. XI. Argumen-  
     tum IVtum ab obsessionibus corporalibus adducitur.  
 §. XII. Argumenta Scholasticorum pro dæmonum existentia  
     examinantur. §. XIII. Argumentum a consensu Philoso-  
     phorum gentilium latius deducitur. §. XIV. Adducuntur  
     illi, qui existentiam dæmonum in dubium vocarunt.  
 §. XV. Qui operationes diaboli & pacta ejus cum homini-  
     bus negant, indicantur. §. XVI. Fundamenta illorum, qui  
     operationes dæmonum negant, sub examen revocantur, si-  
     mulque probatur, spiritum posse operari in corpus. §. XVII.  
 Probatur, diabolum posse assumere corpus. §. XVIII. Idem  
     confirmatur exemplo mulieris Endoreæ ex Sacra Scriptura.  
 §. XIX. Respondetur ad objectionem illorum, qui pacta ho-  
     minum cum diabolo negant.



## §. I.

**V**ocabulum *Dæmonis* ex Lingua Græca originem trahit, in qua δάιμονъ est quasi δαῖμονъ, peritus, sciens, intelligens; illud vero à δέιω, scio, disco. Vocem itaque Græci à scientia insigni, qua Dæmones pollent, repetunt, unde etiam Latini vocem Intelligentiæ ipsis tribuunt. Ipse Plato in Cratylo hoc ἔτυμον servat, & Hierocles ad aurea carmina id ipsum vocabulum pro sciente usurpat. Quodsi vocis Homonymiam seu varium significatum accuratius perquiramus, hoc nomine ipse Summus DEUS, Dii deinde gentilium, nec non animæ hominum tam separatæ, quam quæ in corporibus adhuc versantur, in Veterum monumentis insigniri solent. Testimonia ea de re luculenta adduxit B. GOTTFR. OLEARIUS in eruditissima dissertat. *de genio Socratis*. Taceo jam alia, quæ de hujus vocis vel impropiæ vel latiori significatu dici possent. Inter proprias significationes potissimum illa attenditur, quæ illos notat, qui inter DEum & homines sunt interjecti, h.e. Angelos tam bonos quam malos. Et notum est, Dæmonas olim in εὐδαιμόνας & κακοδαιμόνας, angelos, seu genios bonos &

malos fuisse distinctos. Apud scriptores N. T. δαιμονίων & δαιμόνιον pro noxio atque impuro spiritu, Diabolo, usurpatur. Nos per hanc vocem substantias spirituales, inter DEUM & animam rationalem quasi medias indicamus, quas Philosophi gentiles Intelligentias, Genios, Mentes, Angelos, appellabantur.

### §. II.

Ut vero mentem nostram de hac voce plenius exponamus, nobis Dæmones in genere sunt substantiae immateriales, intellectu, voluntate, potentiaque corpora movendi, variasque operationes edendi præditæ, finitæ tamen & completæ. Veram hanc & genuinam esse Dæmonum seu spirituum notionem, ex iis, quæ certa & indubitate fide de spiritibus traduntur, variisque illorum operationibus manifestum est. Dicuntur substantiae spirituales finitæ, ut excludatur DEUS, qui est Spiritus infinitus ac independens, cuius essentia nullis terminis continetur. Completæ vocantur substantiae, h. c. ad constitutionem alterius Entis per se non ordinatæ, ut excludatur anima rationalis, quæ etiam est spiritus finitus, sed quia per se & naturaliter à DEO ordinatus est, ut cum corpore organico hominem constituat, spiritus incompletus in scholis Metaphysicorum appellatur.

### §. III.

Præter DEum, atque animam hominis, Dæmones seu substantias ejusmodi immateriales, easque potissimum malas, facultate intelligendi, volendi, itemque corpora movendi præditas existere, ex Sacra Scriptura infallibiliter clarum est, utpote quæ & horum existentiam, spiritualem in primis naturam, atque varias operationes evidentissime describit. Non tamen contemnda sunt argumenta, quæ ex Lumine Naturæ desu-

mun-

muntur , atque existentiam horum satis comprobant , de quibus impræsentiarum dispiciemus . Supponimus autem ceu evictum , non esse impossibile , ejusmodi substantias existere . Hoc qui negant , iis adferenda est ratio , cur existere nequeant . Eo minus vero hoc facere poterunt , quod vel ex ipsis animæ rationalis exemplo hoc demonstrari possit , quam spiritum seu substantiam materiæ expertem esse , ex operationibus illius immaterialibus , cogitationibus in primis reflexis , colligimus . Jam si nihil obstat , quo minus spiritus ejusmodi existere queant , procedendum est in Dæmonum horum existentia rite probanda ad argumenta , quibus actualem horum existentiam ex Lumine Naturæ comprobamus . Hanc vero à posteriori ex variis operationibus atque effectibus colligimus , qui cum neque DEO neque animæ rationali imputari queant , tertio alicui Enti tribuendi sunt , quod propter agendi subtilitatem , aliasque operationes Dæmonem seu Spiritum nuncupamus . Neque pro infirmis haberi ejusmodi argumenta debent ; quum , ubi de existentia queritur , vix melior detur demonstratio , quam ab effectu ad causam , ita quidem , ut , quo magis inter hæc pateat necessitas , eo certiora sint argumenta , quæ ab effectibus desumi solent .

## §. IV.

Inter hujusmodi effectus primo numeramus apparitiones *Spectrorum* , atque varias illorum operationes , quæ in sensu incurruunt , certisque documentis constant . *Spectrorum* autem nomine intelligimus spiritus malignos , quatenus in corpore assumto se conspicendos præbent , atque operationibus in sensu externos incurrentibus sese manifestant . Existentiam horum spectrorum testimonia illorum satis probant , qui se per apparitiones horum Spirituum , aut alias illorum operationes de illorum existentia certiores redditos affirmant . Hos inter testes

testes extitisse , qui neutiquam animum alios decipiendi ha-  
buerunt, adeoque veritatem dicere voluerunt, plane non est  
dubitandum. Exempla horum spectrorum ex historia veteri  
& recentiori passim integris etiam voluminibus collecta pro-  
stant. His quamvis multa interdum ficta sint admixta  
omnia tamen tanquam falsa non sunt repudianda. Conferri  
possunt GEORG. WOLF. WEDELIUS *de Spectris.* JO. MICH.  
SONTAG. *de Spectris atque morientium omnibus.* G. J. VOSSIUS  
*de Theol. Gentili l. I. c. vi.* HENR. MORUS *in antidoto adv.*  
*atheismum l. III. c. vii. seqq.* LUD. LAVATERUS *de Spectris.*  
JOS. GLANVIL. *in Sadduceismo triumphato in Linguam Ger-  
manicam translato P. III. tota, in quâ varias spectrorum appar-  
tiones documentis fide dignis innixas prolixius recenset.* Non  
possum non mentionem hic injicere casus illius tragicî , qui  
Anno M DCC XV. exeunte in vigiliis Festi nativitatis Christi  
in agro Jenensi contigit, atque se prodidit in temerariis qui-  
busdam hominibus , qui ad comparandum Spirituum ope  
abditum in vicinia thesaurum se sociaverant. In hoc casu  
*Spectrum* comparuit, atque observante Beyero , custode, bis  
tugurioli januam aperuit, innocentemque hunc hominem ita  
attonitum reddidit , ut non multo post naturæ debitum sol-  
verit. Postea spectrum, umbræ pueri ostennis speciem præ-  
bens , non tantum sensibilem admodum halitum efflavit,  
seque aliquamdiu in ipso ædicolæ limine motitavit, sed fo-  
res etiam tanto impetu ac tumultu pulsavit, ut in minutissi-  
mas particulas redactæ viderentur custodibus. Legi meretur  
relatio hujus tragicî casus, quæ publica Serenissimi Ducis,  
Domini Territorialis auctoritate prodiit, & ad quam provocat  
celeb. D. FOERTSCHIUS in diss. Theolog. de pactis ho-  
num cum diabolo.

## §. V.

Magna equidem hic circumspectione opus est , ne quasvis de spectris narratiunculas statim admittamus , aut fidem nimis leviter adhibeamus omnibus , quæ de illis vulgo narrari solent ; testimonium tamen tot hominum fide dignorum nemo nisi perficitæ frontis homo inficiabitur. Certe tot homines , quorum ea de re testimonia extant , tanto temporis spatio , tot locorum intervallis à se invicem remotissimi , nullo modo omnes falli , multo minus ad alias omnes , adeoque totum genus humanum decipiendum , quasi ex compacto conspirare potuerunt. Lubentes quoque fatemur , sensus quandoque falli posse , si scilicet rite dispositi non sint , aut in operationibus suis quacunque ratione impedianter ; inde tamen , qui colligit , semper errasse sensus , hominesque semper sensuum fallaciis hac in re fuisse deceptos , ille turpiter errabit. Nec ignoramus , imaginationis illam esse vim , ut multos fallere possit , in primis , si vehementiores affectus accedant ; inde vero , qui concludunt , homines semper per imaginationis vim deceptos fuisse , quoties spirituum horum operationes visu vel aliis sensibus percepérunt , illi impudenteriam suam manifesto produnt. Non negamus quoque , multas fraudes per istam de spectris doctrinam promotas esse ; neque tamen in omnibus impostura hominum locum inventit. Nonnunquam horum apparitiones atque mira phænomena , quæ optimæ fidei scriptoribus referentibus , contigerunt , tam manifesta sunt , ut nullo modo aut meticulosæ imaginationi , aut hominum fraudibus , aut sensuum fallaciis imputari queant. Provocamus ad viros cordatores circumspectos , nec metu percusso , nec melancholiæ deditos , quibus ejusmodi phantasmatæ fuerunt objecta. Horum testimonia , qui sine

discrimine rejiciunt, illi omnem fidem humanam proscribunt, atque scepticismum plenis velis introducunt.

## §. VI.

Præter spætra etiam commercia & pacta, quæ magis ac sagis cum spiritibus malignis intercedunt, Dæmonum existentiam comprobant. Pactum autem in genere est duorum vel plurium voluntaria consensio, seu conspiratio in idem placitum. Pactum in specie cum diabolo dividi solet in expressum, atque implicitum. Expressum est conventio destinato animo facta, qua homo se suaque diabolo addicit in fidem & obsequium, & diabolus repromittit, se suos devotos beatum & bona adjecturum. Pactum implicitum est, ubi quis sciens & volens superstitionis rebus, v. gr. characteribus, verbis, ritibusque magicis utitur, quibus deinde Dæmon respondet. Conventionum harum variæ dantur species & modi, quos recenset B. JO. AD. OSIANDER in *tr. de Magia* §. 26. Pacta hujusmodi inter hominem & malum spiritum possibilia esse, nullum est dubium. Spiritus enim cum intellectu, voluntate, atque facultate corpora movendi polleant, nihil obstat, quo minus corpus assumere, in assumpto quandoque hominibus adparere, cum illis colloqui, atque in illorum gratiam aliquid præstare possint, quod hominum vires superat. Pacta autem hujusmodi interdum revera esse percussa, confessiones magorum, sagarumque probant, de quibus tot exempla, & testimonia certa atque explorata, atque ipsa etiam acta publica judicialia, prostant. Res enim facti ostendi debent, non à priori demonstrari; aliudque probationis genus de factis ne locum quidem habet. Adhæc si excipias, sèpius tamen tales confessiones metu esse extortas, sciendum, hinc nihil aliud sequi, quam non temere omnibus confessiōnibus istis fidendum esse, omnes autem pro nugis anilibus vel imaginib.

imaginationibus declarare , atque testimo niis & documentis omnibus fidem prorsus denegare , temerarium foret atque iniquum. Non negamus , improbos homines ex corruptæ phantasiæ vitio sibi interdum persuadere posse , se ejusmodi pacta cum malis Dæmonibus iniisse ; omnia tamen , quæ magi & sagæ de illis profitentur , in dubium non sunt vocanda , aut illusionibus phantasiæ admodum validæ tribuenda. Concedimus , talia pacta saepe esse præstigiosa , & dæmonis illusiones & phantasmatæ mera interdum hic concurrere ; attamen tot hominum unanimes confessiones saepe sine ullis tormentis , vel tormentorum metu factæ , consentientes prorsus inter se , factorum circumstantiæ , aliaque satis docent , istos homines non semper fuisse melancholicos , vel deceptos , sed scientes volentesque quandoque talia pacta iniisse. Conferri possunt , qui pro existentia pactorum cum diabolo scripserunt , quos diligentet recenset JOH. AD. OSIANDER *in Tr. de Magia.* His addi possunt HENRICUS MORUS loc. cit. cap. vii. JOS. GLANVIL *in Sad. Triumph.* PETRUS Goldschmidt , in verworfenen Hexen - und Zauberer - Advocaten. SPIZELIUS , in der gerbochenen Macht der Finsterniſſ. B. SCRIVERIUS *in lib. germ. das verlohrne und wieder gefundene Schaflein.* CL. SYRBIUS *in Institut. Philosoph. Primæ c. vi. de Magia.* FOERTSCHIUS l. c. Ex recent. JO. ERN. FLOERCKII commentatio de crimine conjurationis spirituum , ejus processu , & poenis , præmissis nonnullis ad magiam supernaturalem divinam , dæmoniacam , & humanam , &c. pertinentibus. Jenæ M DCC XXI.

### §. VII.

Præterea idem confirmant varii effectus magici , qui perspicuis hinc inde exemplis sese produnt. Ex his , cum vires artesque humanas longe superent , ad aliquam communionem ,

collusionem , & quandoque conventionem cum malis geniis recte concludi potest. Interim dum magos & magiam dæmoniacam statuimus, multas his de rebus fabulas circumferri, multas eam artem falso jactasse , & si quæ alia sunt hujusmodi , non negamus. Cavendum tamen , ne omnem magiam diabolicam, atque opera magica , exemplis ex historia sacra & profana firmata, temere rejiciamus. Cunctas enim de hisce rebus relationes pro nugis tantum vel imaginationibus ac fraudibus declarare , quid est aliud, quam fidem historicam ejurare ? Evidem probe scio , illa , quæ de artibus magicis earumque efficacia narrantur , non uno omnia habenda esse loco. Quæ Poetæ magis ac sagis passim tribuunt , absurdâ sunt , & ridicula. Nemo facile fidem adhibet illis, quæ OVIDIUS in Libris *metamorphoseon* refert de Circe & Medea, deque sociis Diomedis in aves conversis , quæ longo post tempore circa templum ejus volitaverint ; deque sociis Ulissis à Circe in bestias mutatis , & quæ reliqua sunt ejusdem generis. Nec fidem merentur , quando VIRGILIUS mulierem ejusmodi artium peritam ita describit :

*Hæc se carminibus promittit solvere mentes,  
Quas velit ; ast atiis duras immittere curas,  
Sistere aquam fluviis , & vertere sidera retro,  
Nocturnosque ciet manes ; mugire videbis  
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos;*

*I. IV. Aeneid. vers. 487. p. m. 302.* Missis autem hisce nonnulla tamen in historiarum monumentis occurunt, quæ non temere sunt repudianda. Non impræsentiarum originem magiæ inquiram , & quis primus fuerit artis nefandæ auctor , cuni constet, ea de re nihil certi dici posse. Id tamen certissimum est, antiquissimam esse hanc magiam, cum jam Mosis tempore in Ægypto homines ejusmodi extiterint, qui dæmonis

nis opera mirabilia effecerunt. Plura de origine ac progressu  
hujus magiae erudite concessit celeb. BUDDEUS in *Thesibus*  
*suis de atheismo & superstitione. c. IX. §. III.*

## §. VIII.

Falluntur itaque, qui magiam dæmoniacam pro fabula  
seu figmento habent, vel illius effectus magiae naturali adscri-  
bunt. Ad priores imprimis referendus est REG. SCOTUS  
qui in *detectione artis magicæ* sex libris omnem magiam dæ-  
moniacam oppugnat, eamque dari prorsus inficiatur. Ad poste-  
riores spectat in primis HOBBESIUS cuius verba in *Romani Schediasmate* p. 65. exhibentur. Quod si causaam conjectare  
licet, cur quidam hanc magiam prorsus negaverint, videtur  
mihi, illis non minimam occasionem dedisse incredibiles re-  
lationes rerum miraculosarum à sagis effectuarum, v. gr. de  
lycanthropia, de magorum ac sagarum concubitu cum dæ-  
monibus, aliisque. Verum cautione opus est, ne vel affir-  
memus vel negemus, quod dubium adhuc est, vel, si par-  
tem, vel circumstantiam falsam deprehendamus, totum & ge-  
nus omne rejiciamus. Rariora fuerint pacta cum diabolo explici-  
ta: anne propterea nulla fuisse censemus? Suspecta videantur  
vel falsa quamplurima, quæ vulgo de sagis jactantur, propterea  
tamen quicquid de sagis, vel magia dicitur, non est eodem  
loco & numero habendum. Pertinacis itaque ingenii est,  
scriptorum in rerum gestarum fide & doctrina & ingenii per-  
spicacia & morum probitate præcellentium, & sæpe de sua  
propria experientia testantium testimonio fidem omnem de-  
negare, atque omnia veritatis indicia & argumenta in dubium  
vocare. Circumspecte admodum ea de re pronunciat Philo-  
sophica Burgundica, atque, ut alibi innuimus, id rationis usus  
exigit, ut infinitis prope rebus, quas ex hominum relatione acce-  
pimus, fidem habeamus: cum magna pars cognitionis nostræ ex

hoc veluti fonte dimanet. Quanquam ne in diversum nimia credulitate peccemus, cavendum est. Sed illud deformis pertinacia est argumentum, cum iis, quæ oculati testes sanctitate & doctrina præcellentes publice facta referant, fidem detrahimus, non alia persuasi ratione, quam quod sint insolita, & præter consuetum naturæ ordinem. Neque illud ab instituto nostro alienum est, quod consequitur. Atque haud scio, an Dæmones aut magorum præstigia, aut energumeni in animum cuiusquam venire potuissent, si nihil ex iis omnibus unquam extitisset, nedum id omnium etatum testimoniis & consensu esset approbatum. Metaphys Tr. iii. App. Huc pertinet locus PLINII in Histor. nat. l. ii. Quemadmodum multa fieri non posse, priusquam facta sunt, judicantur, ita multa quoque, quæ antiquitus facta, quia nos ea non vidimus, neque ratione assequimur, ex iis esse, quæ fieri non potuerunt, judicamus. Quæ certe summa insipientia est. Addimus hisce de magia dæmonica dictis multifariam & quotidianam experientiam, quæ satis superque confirmat, homines improbos dæmonum opera & collusione subinde talia efficere, quæ hominum vires artesque excedunt. Exempla ejusmodi de operibus magicis produxit D. FRID. HOFMANNUS in schediasmate Germanico Untersuchung von Gewalt und Würckung des Teufels in natürlichen Körpern. Addi potest Auctor de L' histoire des imaginations extravagantes de Monsieur Oufle, in quo libello in linguam Germanicam translato plures de magia scriptores enumcrantur.

### §. IX.

Neque minus ad effectus, ex quibus Dæmonum existentiam probamus, pertinent veterum gentilium Oracula, quæ saepius solertia & fraude dæmonum sciscitantibus responsa de futuris edere solebant. Nimirum Dæmonem jam tempore Mosis inter Ethnicos responsa dedisse, ex iis, quæ Sacra Scriptura de

( ) ( ) ( )

de אָבוֹת & יְדּוֹנִים commemorat, colligere licet. Atque hinc oraculorum, quæ gentilium scriptorum documentis celebrantur, antiquissima est origo arcessenda. Apud Aegyptios oracula frequentissima fuisse testatur HERODOTUS : Μαντικὴ ἀντοῖσι, ὡδὲ διαινέεται ἀνθρώπων μὲν χρεὶ προσηνέεται ἡ τεχνη, τῶν δὲ θεῶν μετεξετέροισι καὶ γένετο Ήρακλεὸς μαντήιον ἀντόθι ἐτι, καὶ Αἴπολιον, καὶ Αἴθηναίης, καὶ Αἴρεμιδος καὶ Αἴρεος, καὶ Διὸς καὶ σῆγε μάλιστα ἐν Τιμῇ ἀγονται πάντων τῶν μαντήιων, Λητεῖς ἐν Βετοῖ πόλι ἐστὶ οὐμέντοι αἵρεις μαντήιαι σφι κατὰ τῷτο ἐσάσι, ἀλλὰ διαφοραὶ ἔισι. Divinatio apud eos ita constituta est, ut ejus artificium nulli mortalium vindicetur, sed certis diis siquidem Herculis illic Oraculum est, & Apollinis, & Minervæ, Dianaque ac Martis & Jovis ; sed, quod præcipuo honore colunt ex omnibus oraculis, Latone est, in urbe Buti. Verum hæc vaticinia non eodem modo sunt omnia instituta, sed differenter. L. II. Cap. LXXXIII. p. 119. Sunt viri eruditii, qui Aegyptiaca ista oracula Herodoto commemorata post Ammonium atque Dodonæum originem summissæ existimant. conf. GEORG. MOEBIUS de ethnicorum Oraculorum origine, propagatione, & duratione, c. II. p. 19. ubi de utroque pluribus erudite differit. Post Ammonium atque Dodonæum oraculum alia deinceps celebrari cœperunt, ut Pythium seu delphicum, Trophonium, Amphiaraï, Branchidarum in Milesia, Sabæum in Phocide, & reliqua. Eruditorum de hisce Oraculis sententiæ sunt diversæ; nec ipsi ethnicorum philosophi hac de re inter se conveniebant. Stoici vim quandam naturalem futura prædicendi hominibus insitam asserebant, quæ modo in dormientibus, modo in furore percitis, accendentibus præsertim caussis, vim illam excitantibus, sese exsiceret. Eodem etiam redibat sententia Peripateticorum, qui ex caussis naturalibus facultatem omnem vaticinandi procedere sibi persuadebant. Aristoteles ipse caussas, quibus Sibyllæ bacchantes & yates fiant, rejicit in calorem, quem in mentis sede.

sede cieat atra bilis. Ejus hæc sunt verba: *Multi etiam propterea, quod ille calor sedi mentis in vicinio est, morbis vesaniae implicantur, aut lymphatici sunt; unde Sibyllæ, & bacchantes, & divino spiritu afflati sunt, cum non morbo, sed intemperie naturali fiant.* Sect. XXX. Problematum p. m. 1013. AMMONIUS imprimis apud Plutarchum de *Oracul.* def. T. II. opp. variis rationibus probare annititur, naturalem vaticinandi vim mentibus hominum inesse. Has ex eodem repetit & pressius urget PETRUS PETITUS, medicus & philosophus Parisiensis, qui menti dispositionem quandam naturalem ad indicationem futurorum à DEO recipiendam vindicat; *de Sibylla l. I. cap. VIII.* Conferri ea de re meretur celeberrimi BUDDEI diss. cui titulus: *an naturali homines polleant vaticinandi facultate?* Epicuræi contra omnia divinationum genera explodebant, & eorum prædicta & præcognita esse vulgi ineptias aut Sacerdotum fraudes asserebant, teste CICERONE l. II. *de natura Deorum* & l. II. *de divin.* itemq; PLUTARCHO l. c. In eandem deinceps præter alios ingressus est sententiam LUD. COELIUS RHODIGINUS, *antiq. lection.* l. II. c. XII. *Si unde irrepserint,* inquit, *oracula primum, indagine curiosa sit scrutandum, videor lectione jugi comperisse, non ab Diis, non ab Demonibus, instituta, vel propagata, sed à vafris quibusdam, & questuariis initio inchoata, in quam sententiam celeberrimi è Græcorum Sapientibus ière pedibus, Peripatetici, Cynici, atque Epicuræi, à quibus non solum scriptis oraculorum vanitas est palam facta, sed commonstratum quoque, quæ malorum soboles inde pullularit.* Horum aliorumque vestigiis recentiori ætate instituit ANTONIUS Van DALE, medicus Harlemensis, qui id omnibus viribus egit, ut responsa oraculorum apud ethnicos nihil aliud, quam meras præstigias, callidorumque hominum, in primis Sacerdotum fuisse imposturas ac fraudes evinceret, *in dissertat. duabus de oraculis veterum ethnicorum.* Hujus exemplum secutus est.

est FONTENELLIUS in *historia oraculorum gallice conscripta*, omnes Oraculorum responsiones itidem pro meritis imposturis habens. Rectissima illi incedunt via, qui multas intercessisse sacerdotum fraudes fatentur, sed tamen quædam ad malum Dæmonem referenda esse agnoscunt, in primis, cum explorata exempla id ipsum evincant. Omnia enim & singula, quæ quoctunque tempore & loco prædicta, ejusmodi impostoribus addicere, nimis est temerarium, cum multa in rebus magni momenti mirando more eventus comprobasset.

### §. X.

Nimirum interdum dæmonis maligni operam hic intercessisse, variis, iisque validis argumentis colligimus. Primo quandoque Oracula responsa dederunt aperta de rebus futuris, quæ hominibus prorsus ignotæ erant, nec solertia humani ingenii cognosci poterant, quibus eventus accurate respondit. Nec enim dubium, quin varias ob rationes res quædam Dæmonibus notæ esse queant, quæ homines latent. Sic HERODOTUS L. I. c. XLVI. XLVII. XLVIII. refert: Croesum aliquando in eo totum fuisse, ut oraculi fidem vel astutiam exploraret; itaque plures misisse in Græciam simul & Africam, alios quidem ad Oraculum Delphicum, alios ad Dodonæum, nonnullos ad Amphiaraum ac Trophonium, quosdam etiam ad Ammonem, sciscitantes, *quidnam domi ageret Lydorum Rex Croesus?* Ipse vero clanculum domi, ut eo difficilior esset conjectura, testudinem pariter & agnum in aheno contusos coquebat. Unde reliqua quidem oracula varie responderunt; at Delphicum protinus rem, uti gesta erat, licet tanto loci intervallo disjunctam, versu Hexametro sic exposuit:

Οἶδα δὲ ἐγὼ ψάμμις τὸν ἀρεθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης,  
Καὶ πωφῆ συνίμι, καὶ τὴν φωνεῦοντος ἀκέω  
Οδυνὴ μὲν φρένας ἥλθε προτείχη διὰ χελώνης  
εὐφορέντης ἐν χαλκῷ ἄμφι ἀρνέοισι πρέσσοιν,  
Η χαλκὸς μὲν ὑπέρεχοιται, χαλκὸν δὲ ἐπιέζει.

*Æquoris est spatium Εἰ numerus mibi notus arenae.  
Mutum percipio, fantis nihil audio vocem.  
Venis ad hos sensus nidor testudinis acris,  
Quæ simul agnina coquitur cum carne lebete,  
Ære infra strato, Εἰ stratum cui desuper est æs.*

Legati rerum harum ignari, cum hoc ipsum narrassent, fidem Croeso fecerunt, vim quandam superioremin Oraculo Delphico latere, quæ omnium hominum astutiam longe supereret. Plura alia exempla de prædictionum per oracula veritate & complemento adduxit MOEBIUS l. c. cap. V. Deinde Oracula interdum fuerunt audita, ubi Sacerdotes non adfuerunt. Sic in æneis lebetibus, statuis, arboribus, variisque corporis humani partibus auditæ perceptæque sunt Oraculorum voces, ita ut interdum hæc artes hominum fraudibus nullo modo tribui queant. Accedit, quod etiam quædam oracula per bruta dicantur edita, adeoque nullis hominum fraudibus procurata. Per hæc enim diabolus est locutus, hominesque de variis rebus commonefecit. Sic canem locutum & serpentem latrasse, cum pulsus esset regno Tarquinius, testis est Plinius l. VIII. c. 41. SUETONIUS in Domitiano circa finem ita scribit: *Ante paucos, quam occideretur, menses, cornix in capitolio elocuta est: ἦσε πάντα καλῶς.* Livius L. XXXV. bovem locutum esse refert: *Roma cave sibi: equum quoque præsagium dedisse notat* CLUVERIUS l. I. Antiqu. German. c. 36. PLUTARCHUS in Marcello: *ἐλέχθη δὲ καὶ βέβητες φωνὴν αὐφεῖναι, bos etiam dicebatur humanam vocem emisisse.* Multa alia

alia ad rem VOSSIUS I. III. *de Idolol.* c. 44. BOCHARDUS in *Hierozoico* I. II. c. 14. vid. MOEBIUS I. c. c. III. p. 44. Hæc itaque atque alia evincunt, quasdam Oraculorum responseses malo Dæmoni esse tribuendas. Plura de Oraculis suspeditabunt MOEBIUS *loc. cit.* DAN. CLASEN *de Oraculis gentilium* P. BALTUS *dans la réponse l<sup>e</sup> histoire des oracles de Mr. de Fontenelle.* PEUCERUS *in comment. de præcipuis divinat. generibus.*

### §. XI.

Ad effectus, ex quibus substantiæ spirituales à Deo & animabus humanis diversæ, probari possunt, porro pertinent obsessiones, quas vocant, corporales, quarum plurima exempla tum in sacra, cum in profana historia occurrunt. Cautè equidem hic incedendum est, atque illa, quæ à melancholia, ac aliis morborum generibus, sunt, discernenda ab iis, quæ naturæ operationes excedunt. Fieri enim potest, ut nonnulli pro obsessis habeantur, qui furore aut alio morbo melancholico laborant. Interdum etiam simulata est obsessio, lucri alicujus causa à malis hominibus admissa, cuius exempla vide apud WIERUM *de præstig. dæm.* I. IV. Cap. XXVI. XXVII. XXVIII. Neque tamen illorum sententia est approbanda, qui asserere haud verentur, dæmones obsidentes esse morbos, cerebrum turbantes, sensusque internos, imaginationem in primis corruptentes. Sunt enim & nostra ætate, qui epilepsia maniacæ, vel catalepsi ecstaticæ, vel melancholia hypochondriacæ vel morbo archæali, (aut quos demum morborum cothurnos fingunt,) omnia obsessorum phænomena conantur adscribere. Verum etsi non negemus, morbi quoddam genus cum obsessione coire posse, illud tamen rem omnem neutquam absolvit. Quodsi ejusmodi effectus præsto sint, qui nullo modo per vim humanæ mentis produci

possunt, tum quin ejusmodi homo pro vero obsezzo haberet, debeat, dubitari nullo modo potest. Prædictio futurorum, præsentium & præteritorum, quæ obsezzis nota esse non poterant, itemque illorum, quæ longe distant, revelatio, variarum & peregrinarum linguarum, quas nunquam didicerunt, prolocutio, stupendæ & omnem maniam ac epilepsiam exsuperantes vires, aliaque, quæ omnem potentiam humanam superant, atque quibus nulla fraus subesse potest, sat abunde demonstrant, cacodæmonem aliquem, vi majori, quam anima nostra possidet, præditum, ejusmodi quid in obsezzis perpetrare. Jam omnes obsessionis circumstantiæ, in primis effectus truculenti saepe & maligni satis manifeste docent, DEum ejus caussam esse non posse. Neque ab anima separata stupendi hujusmodi effectus oriuntur, cum status animæ separatæ plane expers sit humani commercii, atque illa ultra vires suas naturales operari haud possit. Relinquitur ergo, effectus hujusmodi malis dæmonibus esse imputandos. Taceo jam, quod S. Scriptura obsefforum à spiritibus malis sæpiissime mentionem faciat, atque ab iis, qui morbis affecti erant, distinguat. Evidentissimum dæmoniacorum exemplum mihi videtur illud, quod Matth. VII. 26. sqq. extat, ubi dæmones Christum alloquuntur, atque petunt, ut sibi liceat in porcorum gregem immigrare; idque cum impetrassent, gregem in lacum præcipitem egerunt. Conf. locus Actor. Cap. XIX. Hæc omnia atque alia similia, qui de morbo melancholico, aut alio quodam intelligunt, sanam rationem ejurasse mihi videntur. conf. B. DORSCHEI *diss. de Satane obfessione.*

### §. XII.

Non possum silentio prorsus præterire præcipuum illud argumentum, quo *Scholasfici* existentiam Dæmonum probare conantur, ab ordine & perfectione hujus universi desumptum.

Argu-

Argumentantur nimirum Thomas, Suarez, & alii hunc in modum : *Ut mundus sit perfectus in suo esse, necesse est, ut non deficit ei gradus aliquis generalis creaturarum possibilium, alioquin Universum erit imperfectum, deerit enim illi aliquid ad perfectionem ejus maxime pertinens ; Atqui unus ex illis gradibus est substantia creata pure spiritualis, primus enim & infimus est substantia pure corporea, cui opponitur substantia creata pure spiritualis, media inter illas est substantia spiritualis simul & corporea, supra autem illas omnes est substantia increata spiritualis. Ergo sicut datur substantia pure corporea, & substantia partim spiritualis, partim corporea, sic dari debet substantia pure spiritualis.* *Enim vero hoc argumentum non satis stringere, manifestum est. Quod si enim Deus mundum voluisset creare sine Angelis, etiam si potuisset eos creare, mundus tamen sine illis debitam haberet perfectionem. Sic adhuc plures posset creare species, quam creavit, & tamen mundus est perfectus, quia habet illa, quae habere debebat. A sola itaque DEI Creatoris voluntate pendet, quas & quales creaturas voluerit creare, nec Deus tenetur, illud, quicquid magis videtur perfectum, producere, sed quicquid voluit, liberime fecit. Neque majoris est momenti argumentum, quod Suarezius disp. metaphys. XXXV. à possibiliitate latius deduxit, & exinde actualem horum existentiam probavit. A posse enim ad esse non firma est collectio. Præterea confunditur obiectum omnipotentiae cum objecto voluntatis divinæ. Plura DEum potuisse quam voluisse, quis negaret ? Quod cum non lateret Mendozam rationem Suarezii pensitans exclamat : O ! bone DEUS, quam multa fecisses, si quæ potuisti, fecisses. disp. metaphys. Sect. 2. §. 6. conf. G. J. VOSSIUS theol. gentil. l. I. c. VI. aliique.*

### §. XIII.

His argumentis pro existentia Dæmonum allatis adjicimus illud, quod à consensu gentilium desumitur, non con-

temnendum. Neimpe omnes fere Philosophi substantias inter DEUM & animam medias, h. e. Dæmones, genios, intelligentias, admittebant; etsi inficiandum haud sit, de natura horum Dæmonum illos non recte sensisse, atque hanc de Dæmonibus doctrinam multis erroribus conspurcasse. *Ægyptios, Chaldeos*, aliasque gentium Orientalium Philosophos Dæmones credidisse, patet ex iis, quæ STANLEJUS in *Histor. Philosophiae Orientalis* de illis congesit, Part. III. Sect. II. c. IX. p. 1127. Præcipuus inter Philosophos celebratur THALES, unus è septem Græciæ sapientibus, qui dæmones definivit ἔσιας φυχίας, substantias animales, plenumque iis mundum esse dixit. conf. PLUTARCHUS *de placit. philosoph. l. I. c. VIII.* & LAERTIUS *in Thal.* De Genio sibi familiari gloriatus est SOCRATES. Unde & adversus Melitum, objicentem sibi impietatis crimen, probabat se agnoscere Dæmones, quippe qui Dæmonium sibi diceret assistere; qui vero agnoscat Dæmones, Deorum filios, hunc & Deos. Legenda hac de re B. GOTTFR. OLEARII *diss. supra laud. de genio Socratis*, THOMÆ STANLEJI, *Histor. Philos. inserta P. III. c. VI. p. 130.* sqq. De PYTHAGORA Diogenes Laertius in ipsius vita L. VIII. Sect. 32. docet, tradidisse ipsum, totum aerem esse plenum animarum, easque & dæmonas & heroas existimari, atque ab his hominibus immitti somnia & signa morbi & sanitatis; atque ad has referri lustrationes & expiationes, divinationemque omnem & vaticinia, atque cetera id genus. Insignem ea de re ex Hieroclis in comment. ad aur. carm. locum adfert. cel. OLEARIUS l. c. PLATO multa de Dæmonibus differuit, eosque in Epinomide ita describit, ut illos αέριον γένος esse dicat, ἔχον ἑδραν τρίτην καὶ μέσην τῆς ἐρμηνείας οὐτιον, εὐχαῖς τιμῶν χρεῶν, χάριν τῆς ἐυφήμης διαπορείας, h. e. genus aereum, tertiam atque adeo medium obtinens sedem, interpretum suę internuncio-

rum

rum munus sustinens, precibus colendum, prosperorum successum gratia. Quæ omnia latius persequitur in convivio Platonis Diotima: ubi omnem naturam Dæmonum inter mortales Deosve medium esse docet, eorumque officium in eo consistere ait, ut humana ad Deos, divina ad homines referant, horum scilicet ad Deos preces & sacrificia, illorum ad hæs leges & sacra instituta. Platonem secuti sunt ejus discipuli, Platonici, *Apulejus*, *Plotinus*, *Porphyrius*, *Jamblichus*, *Proclus*, *Psellos*, aliique, qui varia Dæmonum genera statuebant, illisque plerumque corpora subtilia tribuebant.

ARISTOTELEM quod attinet, constat, illum *intelligentias* admississe orbium cœlestium motrices. Loca ex illo haud obscura attulit JO. ZEISOLDUS, qui etiam lectori, infelici, ut opinor, conatu, persuadere cupit, illum de dæmonibus talia docuisse, quæ S. S. prorsus sint consentanea, *disp. IV. de Aristotelis cum S.S. consensu* &c. Putant viri quidam eruditio- nis laude conspicui, Aristotelem præter motores, orbibus cœ- lestibus adjunctos & velut affixos, dæmonum nullam injicere mentionem; At secus se rem habere existimamus, si Libros Metaphysicorum consulimus, in quibus non tantum expre- sam Dæmoniorum mentionem facit, sed etiam illa ab intel- ligentiis suis cœli motoribus distinguit. vid. *L. IV. Metaphys. c. VIII. p. 1291.* Plura qui de consensu veterum Philosopho- rum in dogmate de existentia Dæmonum scire cupit, consulat illos, qui veterum suffragia magno adparatu collegerunt: HUETIUM in *concordia rationis & fidei c. IV. de Angelis.* p. 126. sqq. PFANNERUM in *Systemat. Theologiæ gentil. purioris c. VI. p. 70. sqq.* AUG. STEUCHUM EUGUBI- NUM *de perenni Philosoph. I. III. c. VIII. Cl. RABENERUM in diff. philolog. de dæmonibus ex theologia veterum genti- lium.*

Quod si

Quodsi quæras, unde doctrina de Dæmonibus Gentilibus innotuerit, dissentient inter se Eruditi. Quidam hujus doctrinæ elementa referunt ad *Hosghanem*, qui à *Minutio Felice* primus dicitur docuisse, angelos venerationi veri DEI assisteret. vid. STANLEJUS c. IX. l. c. Alii originem hujus doctrinæ ad *Zoroastrem*, *Orpheum*, *Ægyptios*, *Pbryges*, *Thaletem*, *Pythagoram*, referunt, de quibus videri potest *Plutarchus* de *Orac.* defect. p. 415. Probabilissima mihi videtur sententia illorum, qui statuunt, traditioni Judaicæ potissimum suam de Dæmonibus notitiam Philosophos gentiles debere. Doctrina enim illa de spiritibus procul dubio à Noachidis posteris tradita est, eamque à primis gentium conditoribus suis, plurimæ gentes acceperunt. Cum postea accederent spirituum malorum operationes, quales crebro inter ethnicos obligisse novimus, mirum non est, confirmatam ipsis esse de dæmonibus opinionem. Pluribus candem sententiam confirmat G. J. VOSSIUS *de theol. gentil.* l. I. c. VI.

#### §. XIV.

Quamvis autem plerique saniores Philosophi Dæmones admiserint, non tamen defuerunt, qui aut horum existentiam, aut operationes in dubium vocarunt, quos impræsentiarum paucis attingemus. Inter illos, qui existentiam spirituum negarunt, primo loco nominandi sunt SADDUCÆI, qui, ceu ex actis XXIII. v. 8. dixerunt: μὴ εἴναι ἀνάγασσιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνῖψις. Ex Philosophis EPICUREI non agnoverunt spiritus bonos & malos. Ipse EPICURUS, ut Democriti placitis inhærebat in plurimis, illos qui genios sibi apparere commemorant, aut mentiri & fingere, aut melancholicos esse existimabat. PETRUS GASSENDUS, magnus ceteroquin Philosophiæ Epicuri sectator, atque admirator, inter alia tamen

in doctrina de providentia & Dæmonibus ipsum passim emendat. *Vid. ejus syntagma Philosophiae Epicuri cum refutationibus dogmatum, quæ contra fidem Christianam ab eo asserta sunt, §. II. Sect. II. c. VI.* Epicuræis assentitur TH. HOBESIUS, qui cum nullam aliam, quam corpoream substantiam admittat, Spiritibus proprie dictis locum concedere non potest. Loca huc pertinentia ex *Leviath.* produxit celeb. BUDDEUS in *Thesibus suis de atheismo & superstitione* c. I. §. XXVII. p. 192. addi potest GRAPIUS in *theolog. recens controversa Cap. III. Quæst. II.* Adjungimus hisce atheos, horumque patronos eandem sententiam tenentes, quam exhibet audacissimus ille scriptor Berolinensis in *concordia rat.* *E fidei* p. 8. ita differens: *Quæ de Angelis, & Dæmonibus, tam in Sacra Scriptura, quam Historia humana traduntur, sunt partim somnia, partim visiones, sive apparitiones, partim phantasmata, partim morbi, partim figmenta & illusiones: Sapientis quoque ideæ hominis bona pro Angelis, mala pro Dæmonibus accipiuntur, vel ex falsa persuasione, vel ex superstitione & metu. Diabolus nihil aliud in Ethica, quam pertinacia in damnum proprium vel alienum agendi, absque illecebris carnis vel mundi, sive gloriae vanæ, que omnium idea rum est pessima.* Agmen hic claudat recentissimus scriptor, qui sub nomine ERANCISCI de CORDUA latitans edidit libellum Germanico idiomate scriptum: *Schrift- und Vernunftsinäßige Gedanken vom Schatz-Graben, und Beschwerung der Geister.* Hamburg (Loburg) 1716. Auctor hic Spirituum malorum existentiam & operationes, expressis verbis negat p. 52. *Es ist wahr, daß von den schlimmen Geistern, mit Bestand der Wahrheit, nicht ein einiger Buchstab auf den Büchern des Alten Testaments zu einem Beweisthum aufgebracht werden kan,* &c. p. 60. 61. Operationes, quæ malorum Spirituum esse perhibentur, bonis potius Angelis tribuendas esse ostendit p. 49. 50. 61.

commenta & somnia esse, quæ de magis, sagis, pactis, & spectris diabolicis, vulgo enarrentur, audacter asserit p. 94. Notavit hujus quamplurimas alias periculosas atque in Sacram Scripturam injurias sententias breviter & succinete *Celeb. GODOFR. LUDOVICI Theologus Coburgensis*, in *Examine Theologico, novæ novi auctoris Francisci de Cordua anthropologia & Dæmonologiae.*

### §. XV.

Inter illos, qui recentiori in primis ætate operationes Spirituum malorum in hoc mundo in dubium vocarunt, in vulgus jam notus est BALTHASAR BEKKERUS, qui in libro *die bezauberte Welt* id omnibus viribus egit, ut negaret, diabolo vim agendi in corpus, aut similes effectus producendi, competere. Dolendum est, Famosum hunc Batavum, impudentissimo prorsus conatu, clarissimis Sacræ Scripturæ testimoniis de Spirituum malorum existentia & operationibus caliginem offundere, mirum in modum illa pervertere, atque in alienum sensum detorquere. Extiterunt quam plurimi, qui certatim hujus hypotheses confutarunt, quos diligenter allegat Grapius in *Theol. recens concroversa continuata c. II. qu. 9.* Quibus adde cel. BUDDEUM in *element. Philosoph. Theoret. Part. VI. c. II.* quod inscribitur: BEKKERIANISMUS *rejectus*: nec non in *Thesibus suis, Cap. VII. §. III.* ubi Sacræ Scripturæ loca quædam à perversa BEKKERI distorsione vindicavit. Conferri etiam potest M. GUIL. HENR. Beckers *Schediasma Critico litterarium, hoc anno divulgatum, de controversiis præcipuis BALTH. BEKKERO quondam motis*; ubi in fine farraginem auctorum adjecit, qui BEKKERI scriptum refutarunt. Non prætermittendi hoc loco sunt illi, qui quidem operationes diaboli in hoc mundo concedunt, vel concedere videntur, negant tamen, magos, sagasque dari, & quidem pacto cum malo genio inito, mira præstantes.

Refer-

Referendi huc sunt *P. Pomponatius*, *Reginaldus Scotus*, *G. Naudæus*, *A. Dalenius*, *B. Bekkerus*, *Episcopius*, *J. G. Kulmus*, *J. C. Westphalus*, aliique plures. Hos inter eminet Illustris CHRISTIANUS THOMASIUS, in disput. de *crimine Magie*, scriptis, quæ deinceps germanice prodierunt, & in primis in præfatione, germanico *Websderi* libro jam allegando, præmissa. Facem hisce prætulerunt duo in primis Angli, scriptores in hoc argumento celebres. Nimirum prior JO. WAGSTAFF olim anglico idiomate libellum edidit, qui nuper præmissa dedicatione ad Illustr. THOMASIUM Germanice versus & publicatus est, cum hac inscriptione: *Gründlich aufzuführte Materie von der Hererey, oder die Meynung derjenigen, so da glauben, daß es Hexen gebe, deutlich widerleget, und mit vernünftigen Anmerckungen erläutert.* Halle, 1711. 8. Alterius JO. WEBSTERI librum, pariter ex anglic. in vernaculam nostram transferri curavit cel. Dn. THOMASIUS, præmissa præfatione instar Isagoges Historico-criticæ in hanc materiam sub tit. *JO. Websters Untersuchung der vermeinten und so genannten Herereyen &c.* Halle 1719. 4. Non tamen defuerunt viri eruditi, qui hisce contradixerunt. *Reginaldi Scotti* librum, quem inscripsit, *detectionem artium magicarum*, ubi crimen magiæ, sagasque negat, confutavit JOSEPHUS GLANVILIUS, Regi Britanniae quondam à concionibus aulicis, in libro ex anglico in germanicum sermonem translato, cum inscriptione: *JOSEPH Glanwills Sadducismus Triumphatus, oder: Vollkommenen und klarer Beweß von Hexen und Gespenstern, oder Geister-Erscheinungen &c.* Hamb. 1701. 8. Idem & *Episcopium* & *Websterum* l. c. castigavit. THOMASII hypotheses examinarunt bene multi: *Anonymous* in denen unpartheyischen Gedanken über die kurze Lehr-Säße vom Easter der Zauberey. M. PETRUS Goldschmidt im verworfenen

senen Hexen- und Zauberer- Advocaten. Hamb. 1705. edit.  
 CARL. FRID. ROMANUS in *Schediasmate polemico*, expen-  
 dente questionem, an dentur spectra, magi & sagæ. Lipsiæ 1703.  
 & 1717. ex recentissimis *Anonymous* in der Untersuchung  
 vom Robold. 1719. THOMASII atque WEBSTERI sen-  
 tentiam defendendam sibi sumsit ex recentissimis Auctor sub  
 nomine Gottfried Wahrlich latens, in der deutlichen Vor-  
 stellung der Nichtigkeit derer vermeinten Hexereyen, und  
 des ungegründeten Hexen- Proceses, nebst einer gründli-  
 chen Beantwortung der unter dem Nahmen eines nach En-  
 glland reysenden Passagiers, unlängst heraus gekommenen  
 Untersuchung vom Robold. Amst. 1720. in 4. Com-  
 plures de hoc arguento scriptores indicarunt JO. AD.  
 OSIANDER, M. GUIL. HENR. Beckher, atque JO.  
 BEAUMONT in tractatu, quem in linguam germanicam,  
 Halæ, superiori anno transtulit THEOD. ARNOLD. von  
 Geistern, Erscheinungen, Hexereyen, und andern Zauber-  
 Händeln.

## §. XVI.

Restat, ut primis, quod ajunt, digitis attingamus fun-  
 damenta illorum, qui operationes spirituum in hoc mundo  
 negant. Obvertunt nimirum: essentiam Spiritus consistere in  
 cogitatione, adeoque non posse concipi, quomodo spiritus  
 in materiam & corpus operari, corpus assumere, in illo visi-  
 bili forma adparere, atque talia, quæ spiritibus tribuuntur,  
 edere possit. Quicquid itaque de Spirituum apparitionibus,  
 spectris, magia &c. narratur, pro commentis otiosorum ho-  
 minum, aut anilibus fabulis esse habendum. Verum fallun-  
 tur maximopere, qui totam essentiam spiritus in cogitatione  
 constituunt. Hoc est πρῶτον ψεῦδος, atque fons erroris secus  
 sentientium, ac præjudicium ex Philosophia Cartesiana natum,  
 quod

quod BEKKERUM in primis, aliosque in errores varios induxit. Etsi enim nullus spiritus sit sine cogitatione, adeoque facultas cogitandi inter præcipuas spiritus proprietates recte referatur, non tamen inde sequitur, totam spiritus essentiam cogitatione absolvi. Nec est, quod regerant, non posse concipi, quomodo substantia materiæ expers, in materiam agere, corpusque move-re possit, adeoque spiritum in corpus operari non posse. Licet enim modum, quo pacto substantia immaterialis in corpus agat, ignoremus, res ipsa tamen minime est negan-da. Quot, quæso, sunt phænomena physica atque alia, quæ, quo pacto fiant, dici non potest. Spiritum qua spiritum, absolute non posse operari in corpus, hypothesis est fal-sissima. Sequeretur alias, neque ipsum DEum, qui spiritus est, posse operari in corpus. Hoc admisso, omnis operatio DEI in materiam, tandem & ipsa ejus existentia in dubium vocabitur. Rectissime itaque hæc hypothesis proxima ad atheismum via, à quibusdam appellatur. Deinde vel animæ nostræ evidenti exemplo constat, spiritum agere in corpus, idque pro libitu movere. Mentem nostram spiritum esse, seu substantiam omnis materiæ expertem, operationes ejus im-materiales, evincunt. Conf. si lubet, diss. mea, qua existen-tia DEI ex natura animæ humanæ spirituali demonstratur. Animam tamen per corpus & in corpore operari, quotidiana experientia edocemur, etsi modum hujus rei nullus Phi-losophorum adæquate demonstraverit. Non hic habet BEK-KERUS, nisi quod excipiat: animæ aliam esse rationem, cum habeat proprium corpus, & propterea in illud agere possit, hasque operationes esse notas, à qua vero ad ange-los nemo argumentari possit, cum corpore sint destituti, adeoque operationes illorum per corpus alienum esse ignotas. Sed rationi huic parum roboris inest, nihilque probat.

Anima enim æque est substantia spiritualis, intellectu & voluntate prædita, ac angeli; non ergo vi essentiæ spiritualis, de qua hic sermo, anima magis ullo modo, quam voluntate sua operari potest in corpus, quam angelus. Quodsi itaque nullus spiritus in corpus agere posset, nec anima ceu spiritus posset corpus afficere, variosque in illo motus excitare. Quod anima tantum in proprium corpus agat, id inde est, quia angelus est spiritus completus, anima vero spiritus incompletus, qui naturaliter ita cum corpore est unitus, ut illi non tantum assistat, sed illud etiam informet. Idem vero sapientissimus rerum omnium conditor, qui animæ facultatem indidit, proprium corpus movendi, idem & reliquis spiritibus facultatem corpora aliena & extra se posita movendi concedere potuit, immo concessit.

### §. XVII.

Cum negari non possit, sed vel animæ exemplo constet, spiritibus facultatem corpus movendi, variasque operationes edendi competere, facili jam negotio patebit, illos etiam corpus ad tempus assumere posse, cum idipsum nihil aliud sit, quam operationem in materia vel corpore perficere. Diabolus enim per lapsum, naturalem intelligendi potentiam non amisit, sed rerum naturalium & abditarum est peritissimus, atque hanc ipsam singularem rerum physicarum notitiam, per multifariam experientiam, longumque rerum usum, mirum in modum adauxit; hinc nihil obstat, quo minus iste tot mille annorum experientia edoctus artifex corpus sibi formare, illud summa celeritate movere, atque varias in illo operaciones producere possit. Id equidem non audemus asserere, malum Dæmonem corpus aliquod verum, carne & ossibus constans ex sua essentia generare, aut ex nihilo aliquid producere

ducere valere ; nullo tamen argumento idoneo negari potest , callidissimum hunc artificem vel corpus jam existens animare , vel corpus per artes suas ex aëre & elementis , aut alio quodam modo fabricare , variisque modis tale quid repræsentare posse. Jam si totum corpus , etiam partes corporis , vel similia assumere , in corpore adparere , atque visibili forma se conspiciendum præbere , omnino potest. Nec morari nos debent , quæ recentissimi quidam celeberrimi THOMASHI vestigia prementes obvertunt : diabolum non posse intervertere & mutare vim & ordinem naturæ invisibilis ; adeoque non posse corpus assumere , atque in illo sese conspiciendum præbere. Quodsi enim per turbationem ordinis naturæ intelligatur opus , quod sit contra vel supra naturam , negamus , per assumptionem corporis aliasque miras diaboli operationes everti plane naturam. Sic verum quidem est , diabolum non posse naturam invisibilem facere visibilem ; sed assumptione corporis aërei forte natura ejus invisibilis ipsa non magis mutatur , quam visibilis natura corporis mutatione vestis. Si autem per turbationem hanc naturæ invisibilis intelligantur turbæ illæ diabolicæ in regno suo tenebrarum , quid obstat , quo minus illas concedamus ?

### §. XVIII.

Accedit Testimonium Scripturæ , quæ diserte testatur , diabolum posse corpus assumere , atque in illo visibili forma adparere. Huc refero clarissimum exemplum illud Pythonissæ Endoreæ , quam Rex Saul , cum nulla à DEO responsa acciperet , quæsivit , consuluitque. Hic manifestum est , malum Dæmonem formam Samuelis assumisse , & pro vero Samuele  
se

se venditasse. Ipsam Samuelis animam à muliere ex inferis vocatam , Sauli adparuisse , nemo facile credet , qui perpendit , animam Samuelis post mortem , in beatorum sedes esse translatam , ex quibus , quo pacto artibus magicis excitari , & in terram retrahi potuerit , nemo profecto dixerit. Evidenter non desunt viri & auctoritate & doctrina conspicui , qui nullam hic maligni spiritus operam intercessisse autumant , sed meras vafræ & callidæ mulieris fuisse præstigias & fraudes contendunt. Ita Beckerus , Dalenius , Reg. Scotus , atque recentissimi scriptores audacter nimis statuunt , acsi ipsimet totam hanc tragœdiam per solam mulierem actam introspexissent , ac toti negotio interfuissent. Sed obstant quam plurima , quo minus res omnis ad imposturas mulieris , vel fraudum harum architecto , referatur. Corruent ista omnia , si perpendamus , Saulem Regem , ex improviso ad mulierem illam venisse , unde tempus , ad fraudes istas disponendas , illi non est permisum. Deinde nulla arte humana Samuelis vocem ita imitari potuit , ut non Saul , cui Samuel erat notissimus , statim fraudem animadvertere potuisset. Et licet concedamus , Saulem in summa consternatione fuisse superstitione fascinatum ; inde tamen non sequitur , adeo mente captum fuisse Saulem , ut non vocem , voci Samuelis similem , à voce dissimili in sermone præsertim tam longo , discernere potuisset. Præterea omnem plane fidem superat , vetulam istam rerum civilium ad regnum pertinentium , fuisse peritissimam , tantaque hanc mulierculam fuisse sagacitatem præditam , ut futura prædicere potuerit. Illorum itaque sententia est amplectenda , qui mali dæmonis operam hic intercessisse putant , qui per artes necromanticas evocatus , sub Samuelis Schemate Sauli imminentia fata prædixit. Certe Orationis series & nexus , ac circumstantiae tex-

tus

tus id haud obscure evincunt. Plura addere nolumus, ne falcem in alienam messem mittere videamur. conf. JO. MARCKII *disputationes selectas de apparitione Samuelis.* celeb. DEYLINGII *observat sacr. XVIII. de Samuele personato ad I. Sam.* XXVIII. celeb. BUDDEI *Histor. Eccles. V. T.* Period. II. JOH. HENR. HEIDEGGERI *diss. de Apparitione Samuelis.*

## §. XIX.

In aprico cum sit positum, diabolum in assumito corpore apparere, atque visibili quandoque forma sese manifestare posse; jam nihil obstat, quo minus credamus, illum etiam pacta cum hominibus percutere, atque ab illis habitu corporo & aspectabili aliquid exigere posse. Obvertunt nobis heic dissentientes: nullum effectum, h. e. usum hujus pacti esse, neque ex parte hominum; neque ex parte diaboli; Non illorum; quod tales homines multo faciliori labore comparare sibi possent, quiequid ex pacto isto sperare dicantur vulgo. Sed concedo, nonnunquam nihil utilitatis ex hoc pacto homines habere, & saepe spe vana à diabolo ludificari, & tamen interdum diabolum ex permissione divina, ipsis optata quædam faciliore via tribuere, afflere, nihil est quod obstat. Dicunt, nullam esse hujus pacti utilitatem ex parte diaboli; quia talia appetens homo jam sit ejus mancipium, adeoque non opus esse pacto. Verum non tamen ita sunt devincti, quo non facilius se liberare possint ab ejus potestate, cum Deus multo prius gratiam suam detrahatur homini, diabolo pacto se associante, quam aliis non tam frivole ipsum lalentibus. Eo magis itaque sibi ejusmodi improbos devincit, ne laqueos ejus evadant, sed ut tandem in desperationem & æternum exitium perducantur. Præterea utilitas ejus consistit in eo, quod talibus ho-

minibus utatur ad damna aliis inferenda. Etsi quoque sagarum auxilio dæmon opus non habeat, ut potentiam suam exerceat, ut tamen ad voluntatem sagarum quasi sociarum aliis noceat, id ideo facit, ut ipse animas sagarum lucretur. Etenim si solus homini noceat, suo periculo id facit; verum si à sagis invitatus & jussus homines lædat, sceleris socias habere cupit. Taceo, quod multa forsitan possit præstare per homines, quæ non ita commode ipse solus præstaret. Ideoque etsi sægæ ipsi nihil præstent, his tamen de caussis, & ut gratiam earum promereatur, simulque iis potentiam suam ostentet, & in admirationem apud ipsas veniat, criminis socias sibi adsciscit. Plura dissentientium argumenta brevitati studentes jam silentio præterimus.

*DEO interim, Enti  
Entium, Spirituum Conditori, sit Laus & Gloria  
in sempiterna Secula.*



\*\*\* \*\*\* \*\*\*

**S**o wilst DU, werther Freund nun öffentlich erweisen,  
Wie Dein bekannter Fleiß voll schönster Hoffnung blüh?  
Ein jeder wird mit mir dir Unternehmen preisen,  
Und wünschen: daß der HERRR bekröne Deine Müh.  
Fahr fort in Gottesforcht vernünftig zu studieren,  
So wird Belohnung einst die Arbeit lieblich zieren.

Dieses wolte seinem Lieb-werthen Freund und  
Vettern nebst Anwunschung Göttlicher Gnade  
und Seegens, zu künftigen Academischen  
Studiis beysezzen

*Johann Martin Brenckhart,  
Ulm, Phil. Studiosus, Opponens.*